

ant, sive quia urbes, & pagi, vel incursione hostium, vel incendio sunt devastati: & hi tamē debent vivere. Unde autē vivunt, si ab omnibus expellantur?

Petes 8. Utrum facienda sit eleemosyna voluntarie pauperibus, qui si vellent non egerent? R. Faciendam esse iis, qui sunt voluntarie pauperes propter Christum, & ex amore virtutis, sive in Religione, sive extra; quia ob justam causam se ad hunc statum dimitunt, & reperitur in illis objectum misericordiae. Vide Auctorem infra q. 187. a. 3. 4. & 5.

DISSERTATIO VI. DE CORRECTIONE FRATERNA.

D. Thom. Q. 33.

Quamvis, si verborum vis attendatur, differant correctio, & correctio; correctio enim est reprehensio ad emendationem fratris; correctio est ipsa emendatio; usu tamē recepto inter Theologos confunduntur, & pro uno, & eodem sumuntur. Duplex est correctio delinquentis. (Hic q. 33. a. 1. o.) Una, quae adhibet remedium peccato, in quantum est quoddam malum ipsius peccantis, & ordinatur ad ejus emendationem, dicitur fraterna. Altera est, quae adhibet remedium peccato, secundum quod est in malum aliorum, & praecipue in nocentium boni communis, & dicitur judicialis. Haec est actus justitiae, cuius est conservare rectitudinem justitiae unius ad alium: Fraterna autem, cum sit eleemosyna spiritualis, est actus elicitus a misericordia, & imperatus a charitate. Neque refert (Hic q. 30. art. 1. ad 1.) quod objectum misericordiae sit miseria, seu malum involuntarium, peccatum autem sit voluntarium; quia sufficit ad objectum misericordiae, quod sit aliquo modo involuntarium. Quamvis autem peccatum sit simpliciter voluntarium, & hac ratione sit potius objectum indignationis, quam misericordiae, pluribus tamē modis est involuntarium, 1. Ratione causae, ut si sit ex ignorantia, qua fit, ut non apprehendatur malitia peccati. 2. Ratione effectus: quia reddit hominem obnoxium damnationi, quod est contra ejus voluntatem. Quia est contra inclinationem rationalem voluntatis. Et haec sufficiunt, ut sit objectum misericordiae.

De correctione judiciali hic non agitur, sed tantum de fraterna, quae definitur potest: *Actus charitatis, & misericordiae, quo per convenientem sermonem, vel aliquid aequivalentis, proximum a malo peccati ad bonum virtutis convertere nititur.* Dicitur *actus charitatis, & misericordiae*, quia elicitur a misericordia, & imperatur a charitate, ut dictum est. Dicitur *per convenientem sermonem*, quia magna prudentia opus est ad faciendam correctionem fraternam. Unde Auctor hic q. 33. a. 1. ad 2. dicit esse actum prudentiae exequentis, & dirigentis. Dicitur *vel aliquid aequivalentis*: quia potest etiam fieri signis, vel quocumque modo utili ad removendum proximum a peccato. Dicitur *A malo peccati*: quamvis autem juxta verba Christi: *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. infra referenda, correctio proprie respiciat peccatum commissum; conveniunt tamē omnes, pariter obligationem esse impediendi peccatum futurum imminens, quia est pariter eleemosyna spiritualis; & sive dicatur correctio, sive monitio, sive instructio, sive consilium, perinde est. De utroque peccato itaque, tam commissio, quam committendo, procedit questio.

ARTICULUS I.

Utrum correctio fraterna sit in praecipuo?

Dico: (Hic q. 33. a. 2. o.) Correctio fraterna est in praecipuo naturali, & divino positivo, ita ut omni tempore, etiam ante legem, obligaverit. Prob. 1. ex Scriptura. Gal. 6. dicitur: *Et si praecipuus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans se ipsum: ne & tuleris. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*: ergo praecipuum legis Christi est corrigere peccatorem. 2. Thessal. 3. *Nolite quasi inimicum existimare (scilicet peccatorem), sed corrigite ut fratrem.* Sed praesertim Christus Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripue eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* In hoc textu, qui praeci-

& opus. contra impugnantem Religionem. Iis vero, qui sunt voluntarie pauperes ex ignavia, amore otii, & cupiditate lucri, non est faciendae eleemosyna; tum quia illis non licet mendicare; tum quia esset eorum ignaviam, & cupiditatem fovere. Non est tamē curiosius inquirendum in conditiones pauperum, non fortē veri pauperes praeferantur. Plures sunt enim, qui ex verecundia se pauperes declarare non audent: minus autem est incommodi dare non indigenti, quam denegare indigenti.

puus est, duo pariunt difficultatem. 1. Quod videatur pertinere ad Christianos tantum, quia dicitur *Frater*; & postea, *sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, quae intelligi non possunt de non Christianis.* 2. Quod videatur spectare tantum peccata contra nos commissam; quia dicitur, *si peccaverit in te frater tuus.* Ad 1. Equidem Christus expressè tantum loquitur de Christianis, non ut excludat alios, ut patet ex ratione, quam subiungit de lucrando fratre, & ex praecipuo naturali, quo tenemur omnes peccatores corripere, ubi est spes emendae, ut mox dicemus; sed quia volebat assignare ordinem correctionis fraternae, qui non potest ita bene servari inter Ethnicos, & quia rarus est casus obligationis circa illos, cum sit rarior spes emendae, antequam fidem susceperint. Ad 2. Quidam interpretantur *in te*, id est, *te sciente*; quia, qui peccat coram nobis, aut nobis scientibus, nos quasi testes, & approbatores sui peccati facit, & quantum est ex conditione actus scandalum nobis praebet. Ita Auctor quodlibet. 11. a. 12. interpretatur cum Aug. Alii sensu magis literali, & proprio interpretantur *in te*, id est, *contra te*: & patet ex eo, quod subiungit S. Petrus: *Domine quoties peccavit in me frater meus, & dimittam ei?* Idque importat proprietates locationis; peccare enim in aliquem est contra ipsum peccare. Ita etiam interpretatur S. Thom. q. Disput. de corrept. fraterna a. 2. ad 1. & hujus q. a. 7. post Chrysost. Hieron. Ambros. & Aug. Neque inde sequitur, quod sola peccata contra nos commissam cadant sub praecipuo correctionis fraternae, propter paritatem rationis, quam assert Christus; non enim jubet nos corrigere fratrem, qui peccavit contra nos, sed quia peccando se perdit. Unde dicitur: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Per quodcumque verò peccatum, sive sit contra nos, sive non, peccator se perdit. 2. A minori ad majus. Si enim debeam hoc correctionis beneficium impendere peccati contra me, a fortiori illi, qui me non offendi.

Prob. 2. ex Patribus (Ibid. in a. s. c.) Aug. serm. 16. de verbis Dom. *Si, inquit, neglexeris corrigere, peior eo factus es qui peccavit*; sed hoc non esset, si per hujusmodi omissionem, seu negligentiam aliquid praecipuum non transgredereetur. Idem Ambros. l. 8. in Luc. Chrysost. & Hieron. in Matth. Basilium in Regulis Brevioribus ad interrog. 47. & alii.

Prob. 3. Ratione 1. Praecipuo naturali tenemur subvenire proximo corporaliter indigenti: ergo a fortiori spiritualiter indigenti. 2. Lege naturae tenemur educere bovem proximi errantem: ergo a fortiori ipsum proximum errantem. 3. Denique tenemur diligere proximum; dilectio autem proximi necessario importat, non solum velle, & praestare ei bonum, sed etiam ab eo avertere malum, cum possumus: ergo.

Dices 1. non tenemur subvenire voluntarie pauperi, qui habet unde sibi subveniat; atqui miseria peccantis est ipsi voluntaria, & potest ipse sibi subvenire; ergo. R. N. Conseq. 1. Quia, qui habet unde sibi corporaliter subveniat, non indiget tuis bonis, ut a miseria corporali liberetur; at peccator, quamvis absolute possit sibi subvenire, non tamen nisi admodum difficile, sive ob illecebras peccati, sive ob inveteratam consuetudinem, sive ob ignorantiam; & ideo indiget tuo subsidio, ut a miseria spirituali, licet voluntaria, sublevetur. 2. Quia Christus non praecipit facere eleemosynam voluntarie pauperibus, sicut praecipit facere correctionem fraternam voluntarie peccantibus. Adde, Majorem non esse universaliter veram; potest enim contingere, ut voluntarie pauperi teneamur ex nostris bonis succurre, ut si v. gr. aliquis vita evidenter

pe-

periclitaretur, & ipse, licet monitus, non adverteret periculum, nec vellet sibi de medicamine providere, teneamur in hoc casu, etiam de nostris illi subvenire.

Dices 2. Multi sunt notorii peccatores, ut meretrices, usurarii, ebriosi, &c. quos non corrigit: ergo. R. hos & a Pastoribus & a Concionatoribus, & a piis, ac prudentibus viris aliquando corripit, non solum publice, sed etiam privatim. Alii autem non corripiunt; tum quia illis deest sufficiens auctoritas; tum quia in illis nullam apprehendunt spem emendationis.

Dices 3. Nemo potest converti sine gratia Dei; atqui correctio non confert gratiam: ergo est inutilis. R. retorquendo argumentum. (Ibid. ad 1.) Nemo potest converti sine gratia Dei; atqui praedicatio verbi divini non confert gratiam: ergo est inutilis. Dicendum igitur, quod in omnibus bonis agendis operibus, operatio hominis non est efficax, nisi adsit auxilium divinum; & tamē homo debet facere, quod in se est, & quod Deus praecipit, ut faceret, mediante quo confert gratiam secundum suum beneplacitum. Unde Aug. l. de corrept. & grat. c. 15. dicit: *Nescientes, quis pertineat ad Praedestinatorum numerum, & quos non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri.* Et ideo debemus omnibus fraternae correctionis beneficium impendere sub spe divini auxilii. Quaedam obijciuntur ex veteri Testamento, quibus videtur improbari correctio peccatorum; sed intelliguntur de peccatoribus, in quibus non erat spes emendae.

ARTICULUS II.

Quae conditiones requiruntur, ut praecipuum correctionis fraternae obliget?

Cum praecipuum correctionis fraternae sit affirmativum non obligat pro semper, sed in certis circumstantiis, & positis quibusdam conditionibus. Quae autem sint illae conditiones & circumstantiae?

Dico: Ut praecipuum correctionis fraternae obliget, requiruntur 1. Materia sufficiens, nimirum quod peccatum commissum, vel committendum sit per se loquendo mortale. 2. Requiritur certa ejus notitia. 3. Spes emendationis. 4. Necessitas correctionis. Probantur, & explicantur istae conditiones.

Materia sufficiens.

Solum peccatum mortale, & non veniale, esse per se materiam sufficientem, & propriam correctionis fraternae, constat 1. ex verbis ipsi Christi Matth. 18. ubi in explicatione hujus praecipii dicit: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*: ergo perierat. Unde Aug. serm. 16. c. 3. de verbis Dom. *Si, inquit, te ille, in quem peccasti, corripuerit, & audieris illum, lucratus est te. Quid est lucratus est te, nisi quia perieras, si non lucraretur te? Nam, si non perieras, quomodo te lucratus est? Nemo autem perit quoad vitam spirituales, nisi per peccatum mortale.* Addit Christus, quod, si corripientem non audiat, adhibendi sunt testes, deinde denuntiandus sit Ecclesiae, & habendus ut Ethnicus & Publicanus; certum autem videtur, haec non praecipii de peccatis venialibus, quae quotidiana sunt, & in ipsis justis reperimur. 2. Cum omnis correctio sit onerosa corripienti, & odiosa correpto, & peccata venialia sint frequentissima, si urgeret obligatio ea corripienti, onus foret importabile tam corripientibus, quam corripendis, & neque pax, neque tranquillitas, inter homines servari posset.

Dices: Peccatum veniale est gravius malum, quam quaevis miseria temporalis; atqui tenemur subvenire proximo miseriam temporalem patienti: ergo & peccanti venialiter. R. N. Conseq. 1. Quia obligatio correctionis non est aestimanda ex sola gravitate mali; sed etiam ex ipsius correctionis necessitate: non videtur autem necessaria ad emendationem peccati venialis, quod est voluntarium, & a quo quilibet facile liberari potest; secus de miseria corporali. 2. Nullum est inconveniens, quod succurrat culbet miseriae corporali proximi, id enim est semper illi gratum, secus de correptione fraterna, quae est corripiendo odiosa.

Dixi: *per se loquendo*; quia per accidens peccata venialia possunt esse materia necessaria correctionis fraternae; ut si ex his sequeretur scandalum, perturbatio tranquillitatis in communitate, periculum proximum peccandi mortaliter, aut detrimentum disciplinae Regularis. Unde tenentur Superiores in Religione sub mortali corripere

venialia, imò & transgressiones Regularum obligantium tantum sub poena, quando vident, quod ex impunitate & licentia peccandi venialiter, aut transgrediendi Regulas, disciplina Regularis notabile detrimentum patiatur. Idem, proportione servata, dicendum est de aliis Superioribus respectu suorum subditorum: non quod existimemus peccare mortaliter, si aliquoties, secluso scandalo, dissimulent defectum veniale in subditis; sed, si sint in iis corripendis graviter negligentis.

Circa peccata ignorantiae.

De quibus est specialis difficultas, sequentes resolutiones accipe. 1. Peccata omnia ex ignorantia vincibili cujuscumque Juris, aut facti, cadunt sub praecipuum correctionis fraternae; quia sunt verè peccata. 2. Peccata commissa ex ignorantia invincibili cujuscumque Juris, aut facti non cadunt sub praecipuum correctionis fraternae; quia non sunt peccata, saltem formaliter. Excipe, nisi ex eis sequatur grave scandalum, aut detrimentum proximi, quod correptione possit impediri. 3. Peccata autem committenda ex ignorantia invincibili Juris naturalis & divini positivi, aut facti contra ista Jura, cadunt sub praecipuum correctionis, aut monitionis, si sit spes emendae, & non sit periculum majoris mali; quia talis ignorantia, quamvis inculpa, est grande malum, & turpis error, quem quisque vellet a se depelli. Insuper quae committuntur, saltem ex ignorantia invincibili Juris naturae, sunt secundum se mala & peccata materialiter, quamvis committentes propter ignorantiam invincibilem excusentur.

Dixi 1. *Si sit spes emendae, aut non sit periculum majoris mali*; quia, si non sit spes emendae, tunc non solum cessat finis correptionis, sed insuper sequitur gravissimum inconveniens, nempe quod is, quem corripis, aut mones, peccabit formaliter, cum antea peccaret tantum materialiter; & quod monitus damnetur, qui non monitus pariter salvari. Quod si sit spes emendae, sed jure timeatur graviora inconvenientia, quam sit peccatum mortale impediendum, debet etiam omitti correctio, seu instructio; quia e duobus malis minus est eligendum. Hinc inferes, quod, dum quis invincibiliter ignorat, se esse invalide matrimonio junctum, si non sit spes, quod monitus recedat ab uxore putativa, aut si discedat, sequentur gravi inconvenientia & scandala, puta, odia capitalia, rixae diuturnae, incontinentia, honestae familiae & prolium diffamatio, relinquendus sit in bona fide. Quod si agatur de matrimonio contrahendo, attendendum est ad irreverentiam Sacramenti, & ad mala, quae nata sunt sequi ex matrimonio invalido, si proximus non moneatur: & haec conferenda sunt cum inconvenientibus, quae praevidentur secutura, si moneatur; & quod minus videbitur, est eligendum monendo, vel tacendo. Regulariter, dum agitur de actu futuro, re adhuc integra manente, minora mala sequuntur, si moneatur, quam si non moneatur. Unde regulariter in hoc casu monendus est proximus. Confer, quae fuisi dixi circa hanc materiam in Tract. de Actibus humanis Dissert. 5. art. 4.

Dixi 2. *Ex ignorantia invincibili Juris naturalis, aut divini positivi, seu facti contra illa Jura*; quia, quoad ignorantiam invincibilem legis humanae aut facti contra illam nemo privatus tenetur, saltem sub mortali, hanc ignorantiam tollere, seclusis scandalo, irreverentia Dei & Religionis, & damno tertii. Quia, quae sunt contra legem humanam, non sunt per se mala, sicut ea, quae sunt contra legem naturalem; nec tantum momenti, sicut ea, quae sunt contra legem divinam positivam. Hinc non tenentur, saltem sub mortali, monere omnitemper inculpatè horas, aut Messam in die festo, & similia. Secus, si quis cum scandalo manducaret carnes in die jejunii, aut laboraret serviliter in die festo. Item, si Sacerdos ex inadvertentia accideret ad altare sine alba, aut casulla, propter reverentiam debitam sacro Ministerio. In dubio autem, an hujusmodi ignorantia sit culpabilis, vel inculpabilis; videtur, quod liceat dubium in meliorem partem interpretari.

Notitia peccati.

Ad hoc ut quis teneatur corrigere proximum, debet habere notitiam moraliter certam peccati commissi, vel committendi. Unde non sufficit dubium, suspicio, timor, scrupulus, aut rumor; quia, cum correctio pudorem ingerat, & sit correpto odiosa, justè conquereretur, si argueretur de peccato, quod non constat; & saepe imprudenter

cor-

correctiones ex dubiis & incertis iudiciis causant graves trias & dissensiones. Adde, quod in dubio presumendum sit in favorem proximi. Hac ratione plerumque eximuntur a correctione faciendi scrupulosi, qui in omnibus timent & suscipiuntur peccatum. Neque debet privatus inquirere in vitam aliorum ad finem correctionis; id enim redundaret in injuriam proximi, & esset contra illud Prov. 24. *Ne quaras impietatem in domo justi*. Hoc solum competit Superioribus, quibus ex officio incumbit vigilare super gregem sibi commissum, adeoque dubiis malis occurrere.

Dices: Ad eleemosynam corporalem sufficit probabilis, aut conjecturalis notitia miserie proximi: ergo similiter ad spiritualem. R. N. Conseq. Disparitas est, quod eleemosyna corporalis absque ullo offensionis periculo admittatur etiam ab eis, qui non indigent, secus correctio fraterna, si timere, aut leviter fiat.

Spes emendationis.

Requiri spem emendationis (*Hic 6. o.*) manifestum est; quia cessante fine, cessat ratio operandi propter finem: finis autem correctionis fraternae est emendatio proximi, in quo differt a correctione iudiciali, cujus finis est bonum commune. Adde, quod hoc ipso, quo non prodest, correctio obstitit; quia correctus non respiciens gravius peccat: & hac ratione saepe excusantur a correctione fraterna, qui sunt inferioris conditionis corripiendi. Non tamen requiritur spes certa, sed sufficit probabilis, modo etiam sit probabile, correctionem non obtuturam. Si dubitetur, aut sit profutura, & certum quod non sit obfuturum, adhibenda est, sicut medici adhibent medicinam, quam certo sciunt, non nocituram, quamvis dubitent, an sit profutura, dum non est alius modus juvandi aegrotum. Si vero dubium sit, an proderit, & pariter dubium an nocebit, ut saepe contingit in extraneis & ignotis, cujus ingenium non novimus, conferenda est utilitas sperata cum damno, quod timetur, & majus est minori praefendum. Hinc, si corrigendus erudatur tantum pudore afficiendus, aut futurus in posterum minus amicus, aut ad tempus exacerbandus, sed postea corrigendus, nec melior occasio expectari possit, omnino est corripiendus; quia bonum speratum praeponderat malo timendo. Item in articulo mortis, stante dubio, an proderit, vel oberit, correctio est facienda: quia si prosit, proximus ab aeterna damnatione liberabitur; si obstitit, extraneus tantum oberit, quod, qui damnandus erat propter alia peccata, gravius damnetur propter istud novum. Huic autem malo praeponderat bonum, quod speratur. In aequalitate vero boni sperandi & mali timendi omittenda est correctio; quia praecipuum negativum non nocendi proximo magis obligat, quam praecipuum affirmativum ipsi bene faciendi. Hac intellige de correctione praecise fraternae, & quae nihil aliud intendit, quam emendationem delinquentis: quia, si agatur de correctione, quae assumere datur ad alium aliquem finem, ut ad impediendum damnum tertii, vel Republicae, aut dehonorationem Dei per blasphemias, vel seductionem populi per haereticos, etiam si nulla esset spes emendationis in peccante, si sit spes impediendi malum, aut damnum ex ejus peccato consequens, potest & debet adhiberi correctio & redargutio.

Necessitas correctionis.

Sufficit ad emendationem fratris: quia (ut discurret Auctor (*Hic 2. 6.*) correctio fraterna ordinatur ad fratris emendationem, & ideo hoc modo cadit sub praecipuo secundum quod est necessaria ad istum finem; non autem quod quolibet loco, vel tempore delinquens corrigatur. Hinc sequitur, 1. quod, si nullus sit, qui corripiat delinquentem, & ipse non possit, aut non nisi difficile liberari a peccato, nisi per tuam correctionem, tenearis ex hoc capite illam adhibere. Sequitur 2. e. contra, quod, si frater sit emendatur, aut probabile sit, quod ipse se emendabit, ut jure praesumitur in iis, qui suae salutis non sunt incuri, & solent frequentare Sacramenta, nec interim sit periculum relapsus, non tenearis corrigere. Similiter, si per alios sit corripiendus. At vero, si adsint quidam, qui possent forte melius & utilius corrigere, & tamen non faciunt, tenearis; ut dictum est de eleemosyna corporali, omnes scientes teneantur in solidum.

Dubium est inter Auctores, an peccatum praeteritum, nullo relicto complacentiae vestigio, nec damni, aut relapsus periculo, sit corripiendum? Alii affirmantibus, alii negantibus. R. ex dictis, quod, si sit probabile, quod

ipse reus sese emendabit tempore debito, non sit corripiendus: secus, est corripiendus.

His ergo omnibus conditionibus positis (*Ibid. art. 3.*) tenetur quilibet ad correctionem fraternam statim moraliter: ita quod, si ex timore, vel cupiditate absolute renuat eam facere, vel ita differat, ut sinat elabi opportunitatem faciendi, praeponeas in animo timorem, vel cupiditatem fraternae charitatis, peccet mortaliter. Venialiter autem tantum peccabit, si ex timore, vel cupiditate tardior efficiatur ad correctionem, modo sit ita affectus, ut si ea constaret, quod posset per suam correctionem fratrem retrahere a peccato, non omitteret propter timorem, aut cupiditatem, quibus in animo suo praeponeat charitatem fraternam: & hac ratione quandoque viri sancti negligunt corrigere delinquentes. Nullo autem modo peccabit, si differat correctionem spe majoris opportunitatis. An vero liceat differre spe majoris utilitatis, sic nimirum, ut proximus saepius & gravius peccans efficacius corrigatur & emendetur? Quidam affirmant: quia, quamvis nunquam liceat facere mala, ut evaniant bona, aliquando tamen licet permittere mala ex intentione majoris boni. Et hoc est probabile. Attamen, si supponatur spes fundata praesentis emendationis, id nec satis tutum in praxi, nec satis probabile arbitror: quia in hac hypothesis major utilitas, quae expectatur, non est tantum bonum, ut praeponderet honori Dei, qui iteratis & forte gravissimis offensis laeditur, & securitati salutis proximi, qui interim potest mori, aut qui ex iteratis actibus obstinatio factus frustrabit spem efficaciorum emendationem expectantis. Ceterum pro colophone totius hujus art. observandum est, quod, cum istae conditiones raro omnes simul reperiantur, raro etiam homines privati teneantur, saltem sub gravi peccato, ad correctionem fraternam.

ARTICULUS III.

Aliae difficultates circa praecipuum correctionis fraternae discutuntur.

Petes 1. Utrum praecipuum correctionis fraternae obliget cum damno corripiens? Antequam responsum distingue duplicem necessitatem spirituales proximi; unam gravem, a qua licet possit absolute proximus liberari, non nisi tamen difficile, sive ob vehementiam passionis, sive ob inveteratam consuetudinem & ostinationem in malo, sive ob ignorantiam, sive ob aliam causam. Alteram extremam, a qua absolute liberari non potest nisi per correctionem; & hic casus est rarissimus & forte unicuique, ut si quis ex ignorantia vincibilis peccet & querat Doctorem, ego autem solus possum docere, monere, corrigere illum, alioquin moriturum in peccato.

Dico: Quando peccator est in extrema necessitate spirituali, quilibet tenetur cum periculo vitae adhibere correctionem, quia plus tenetur diligere animam proximi, quam corpus nostrum, ut probavimus Dissert. 4. a. 3. In gravi necessitate quilibet tenetur cum aliquo damno temporum temporalium; quia plus diligere debemus salutem aeternam proximi, quam quaedam bona temporalia. Et autem, quibus curam animarum incumbit ex officio, tenentur etiam cum periculo vitae in gravi necessitate; quia si magis tenentur, quam alii; & debent esse parati ponere animam suam pro ovibus suis. Confer, quae superius dixi Dissert. 4. cit. de ordine charitatis, praesertim art. 3.

Petes 2. Quinam tenentur ex praecipuo facere correctionem fraternam? R. 1. (*Ibid. a. 3. o.*) Positis praesentibus conditionibus, non solum Praelati, sed omnes generaliter tenentur ad correctionem fraternam. Patet ex praecipuo, tam divino, quam naturali, quod est generale; ut vidimus a. 1. praesentis Dissert. R. 2. (*Ibid. ad 1.*) Praelati strictius tenentur, quam ceteri, ad corripiendos suos subditos. Quia 1. praeter communem obligationem, illi id est officio incumbit. 2. Quia Pater plus tenetur, quam extraneus beneficere filiis suis: Praelatus autem est Pater spiritualis suorum subditorum. Item tenentur Praelati inquirere in vitam subditorum ad finem correctionis fraternae. 1. Quia quilibet tenetur mala spiritualia a proximo depellere eo modo, quo absque inconvenientibus potest. Possunt autem Praelati absque inconvenientibus, quae patenter privati, inquirere in vitam subditorum; quia id propter auctoritatem & officium non parit scandalum, aut offensionem. 2. Quia ut Pater spiritualis, debet eleemosynam his particularibus personis sibi subditis: quod autem debetur sic determinatae personae, inquit Auctor, (*Ibid. a. 2. ad 4.*) oportet, quod ei impendantur, non expectantes quod nobis occurrat, sed

sed debitam sollicitudinem habentes ut eum inquitamus.

Ceterum cavendum est Praelato, inquit Cajetanus, ne ex una parte nimia suspicione fiat praecipuus & odiosus, & ex altera, ne sua incuria invalescant delicta occulta. Neque debet nimis particulariter in unum aliquem absque sufficientibus iudiciis inquirere, ne cum apud alios reddat suspectum & infamem.

Non videtur tamen, quod teneantur ex stricta justitia sed ex misericordia, vel fidelitate, qua tenentur adimplere suum munus: quia officium praelationis constituit Praelatum Judicem & Patrem. Quamvis autem obligatio, quae oritur ex illo, ut constituit iudicem, pertineat ad justitiam, non tamen obligatio, quae oritur ex illo, ut constituit Patrem; specialis autem obligatio in Praelato corrigendi fraternae subditum oritur ex ejus officio, ut constituit Patrem, non iudicem. Quod huc usque diximus de praelatis, juxta cap. *Duo ista causa* 23. q. 4. extendendum est ad Parentes, Judices, Reges, secundum cujusque disciplinam.

R. 3. (*Ibid. a. 4. o.*) Subditi possunt & aliquando tenentur corrigere fratrem suos Superiores; quia eos pro loco & tempore possunt & debemus fratrem corrigere, quos tenentur ex charitate diligere; atque subditi tenentur ex charitate diligere Superiores: ergo. (*Ibid.*) Debet tamen ad hanc correctionem adhiberi congruus modus, ut scilicet non fiat cum protervia & duritia, sed cum mansuetudine, humilitate, & reverentia, juxta illud Apostol. 1. Tim. 5. *Seniore ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem*. Ad correctionem Superiorum, ut plurimum, sunt minus idonei homines de vulgo, conditione & moribus viles; est enim periculum, ne id Superiores ducant contemptui, & inde magis exasperentur. Unde convenit, quod correctores digniores instruant & adhibeant.

R. 4. (*Ibid. a. 5. o.*) Etiam ipsi peccatores non eximuntur a praecipuo correctionis fraternae faciendae. Sermo est de peccatoribus, qui noscuntur tales ab iis, qui corripiuntur; si enim sint occulti nihil obstat correctioni faciendae. Ratio responsionis est 1. (*Ibid.*) quia correctio delinquentis pertinet ad aliquem, in quantum viget in eo rectum iudicium rationis, peccatum autem, etsi notum, non tollit rectum iudicium rationis: ergo. 2. Nemo propter peccatum eximitur ab obligatione: ergo. Quod si quandoque SS. Patres dicant officium correctionis fraternae non competere peccatoribus, loquuntur de peccatoribus, qui alios non corripiunt nisi ex superbia, minoris in aliis dure reprehendentes, dum ipsi majora perpetrant. (*Ibid.*) Non vero de peccatoribus, qui praecise ut satisfaciant suae obligationi, cum mansuetudine, humilitate & propria infirmitatis confessione alios corripiunt, modeste monendo & rogando juxta hoc praescriptum Auctoris ex Aug. 1. 2. de Serm. Dom. in monte cap. 19. alias 30. *Si inveniamus nos in eodem vitio esse... non objurgemus, sed commiseramus; & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cavendum invitamus*.

Petes 3. Utrum peccator teneatur se emendare, ut alium corripiat? R. 1. Tenetur 1. si sit Superior, qui tenetur procurare ea, quae sunt necessaria ad suum officium recte obeundum, inter quae est ipsius emendatio. 2. Tenetur, qui alius scandalum est, quia tenetur abstinere a scandalo. 3. Tenetur, si proximus sit in peccato mortali moriturus, nisi ipse emendatus corripiat; quia videtur tunc gravis necessitas, cui cum aliquo incommodo subvenire debet. R. 2. Extra hos casus probabilis est, quod peccator non tenetur ex praecipuo se emendare, ut alium corripiat. Ita Dominicus Soto l. de regendo secreto, membro 2. q. 3. Concl. 6. Bannes, Wiggers, Sylvius & Serra in hunc art. Favet Auctor in 4. d. 19. q. 2. ad 2. dicens: *Peccator non est perplexus, nec absolutus a praecipuo corrigendi, potest enim peccatum dimittere, aut etiam humiliter peccatum suum recognoscens alium admonere rogando, & tunc non peccat*. Ergo non tenetur absolute dimittere peccatum, sed vel illud dimittere, vel illud humiliter agnoscere, & alium rogando admonere. Ratio est 1. quia, quando peccator corripiat alium peccatorem cum humilitate, agnoscendo suam etiam infirmitatem, commiserando & invitando ad aequaliter cavendum, ut diximus ex SS. Aug. & Th. si correctus non emendetur, ipsius pertinacia & culpa est, non corripientis. Ut quid enim querit meum exemplum, ut a peccato liberetur, cum ego meo exemplo non induxerim in peccatum, & verbis meis sufficienter inducam ad emendationem? 2. Mea emendatio neque ex praecipuo, neque ex natura rei est medium necessarium ad correctionem fraternam: ergo.

Dices 1. Christus Matth. 7. dicit: *Ejice primum trabem*

de oculo tuo, tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui: ergo. R. Christum ibi non praecipere, ut quisque se emendet, antequam alium corripiat; sed arguit Phariseos, qui levia in aliis reprehendebant, & dure condemnabant, dum ipsi circa proprios defectus caecitantes longe graviora perpetrabant.

Dices 2. Si quis acquirere posset, unde sublevet gravem necessitatem corporalem proximi, ad id obligatur: ergo obligatur hac via proximo succurrere in gravi necessitate spirituali constituto. Respondet Serra post Soto, negando Ant. dicitque, *quod, sicut non tenetur quis recuperare perditam pecuniam ad subveniendum pauperibus, quamvis posset, nisi forte in extrema necessitate, ita non tenetur respicere a peccato, ut ea ratione adimpleat praecipuum correctionis: sicut nec tenetur procurare scientiam, quae requiritur ad corripiendum, nisi forte proximus esset in extrema necessitate spirituali*. Haec ille. R. 2. Dato Ant. N. Conseq. Disparitas est, quod, qui potest acquirere, unde sublevet necessitatem corporalem proximi, & non acquirit, nihil ipsi confert, quo possit ejus necessitas sublevari; sed qui non emendatus corripit fratrem & humiliter peccatorem, ut dictum est, ipsi confert, quo possit sublevari ejus necessitas spiritualis: quod si non sublevetur, ejus pertinacia & culpa est, debetque sibi imputare, & non corripienti. Et quid, si noluit emendari, nisi dem ipsi centum florenos, teneborne forte dare?

Inst. 1. Peccator obligatur vitam emendare etiam statim, si urgeat aliud praecipuum sub gravi obligans, quod adimpleri nequit sine sui emendatione: ergo praesens casus non est a communi resolutione eximendus. R. N. Suppositum argumenti. Supponit argumentum, quod praecipuum correctionis fraternae non possit impleri sine emendatione, quod negamus: qui enim non emendatus facit correctionem eo modo, quo diximus, adimplet, quantum in se est & debet, praecipuum.

Inst. 2. Emendatio est medium conveniens ad correctionem; atque, qui tenetur ad finem, tenetur ad media: ergo. R. D. Maj. Emendatio est medium conveniens ex consilio, C. Ex praecipuo, seu ex natura rei: N. Nulli enim praecipitur, neque id necessario requiritur ex natura ipsius correctionis, quae definitur, etiam ab adversariis actus, quo per convenientem sermonem proximum a malo peccati ad bonum virtutis convertere nititur. Ad hunc sensum D. Min. Qui tenetur ad finem, tenetur ad media convenientia, quae vel ex praecipuo, vel ex natura rei conveniunt, C. Ad media convenientia ex consilio tantum, N.

Inst. 3. Tenetur ex praecipuo ad correctionem fructuosam; atque in casu supponitur emendatio absolute necessaria ad hoc ut correctio sit fructuosa: ergo. R. D. Maj. Tenetur ex praecipuo ad correctionem fructuosam, id est, quae, quantum est ex se, possit producere fructum, C. Et talis est correctio facta a peccatore non emendato. Quae de facto fructum producat, N. Fructus enim, seu emendatio correcti est finis praecipui; finis autem praecipui non cadit sub praecipuo. Insuper advertet, quod, si haec omnia argumenta aliquid probarent, non probarent necessitatem emendationis absolute in corripiente, sed dumtaxat emendationis quantum ad signa exteriora.

ARTICULUS IV.

De Ordine correctionis Fraternalis.

Hunc ordinem tradidit Christus Matth. 18. his verbis: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripue eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit: adhibe te cum uno, vel duobus, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. Sunt ergo tres gradus in ordine correctionis fraternae. 1. Corripere secreto. 2. Corripere coram uno, vel duobus. 3. Dicere Ecclesiae, seu Praelato. Quae est, utrum iste ordo sit in praecipuo quoad omnes suos gradus.

§. I. Utrum in correctione fraterna admonitio secreta debeat praecedere denuntiationem?

Dico 1. (*Hic a. 7. o.*) Si peccatum sit publicum, id est, majori parti communitatis notum, admonitio secreta non debet necessario praecedere denuntiationem, sed est publice arguendum, juxta illud 1. Tim. 5. *Peccantes*

coram omnibus argue, & ut ceteri timorem habeant; quod de peccatis publicis intelligit August. Serm. 16. de verbis Domini. concludens: ergo ipsa corrigenda sunt coram omnibus, que peccantur coram omnibus. Ipsa vero corrigenda sunt secretis, que peccantur secretis. Ratio est 1. (Ibid.) Quia, quando peccatum est publicum, non est tantum adhibendum remedium ei, qui peccavit, ut melior fiat, sed etiam aliis, in quorum notitiam devenit, ut non scandalizentur. 2. Quia finis, propter quem pramittenda est admonitio secreta, qui est conservatio famae, cessat, cum per publicitatem peccati fama peccantis est perdit.

Dico 2. (Ibid.) Si peccatum sit occultum, sed vergens in nocuum alicuius sive corporale, sive spirituale, puta, si aliquis occulte tractet de prodicione Patrie, si Haereticus privatim homines a fide avertat, si magus, aut sortarius occulte agat in perniciem alicuius, si Pharmacopola vendat pharmaca perniciosa, &c. oportet statim procedere ad denuntiationem, non praemissa admonitione secreta, ut huiusmodi nocuum impediatur; partim quia tunc non habent locum verba Domini; partim enim peccans non peccat in te tantum: partim quia debemus magis curare, ne proximus innocens in corpore vel anima laedatur, quam ne fama peccatoris perdat. Excepit (Ibid.) nisi forte aliquis firmiter existimet, quod statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impedire. Sed hoc vix locum habet in haereticis, qui nec ipsam Ecclesiam audire volunt, & in magis, ac sortariis propter obstinatam voluntatem in malo.

Dico 3. (Ibid.) Si peccatum sit occultum, & soli peccanti, ac ei, in quem peccatur, noxium, per se loquendo, necessario est praemittenda secreta monitio denuntiationi. Prob. 1. (Ibid.) ex verbis Christi: si peccaverit in te frater tuus, vade & corripue inter te & ipsum solum. 2. Lege naturali tenemur curare proximum cum minori, quantum fieri potest, damno eius famae; est enim fama utilis & in temporalibus & in spiritualibus. Sicut Medicus corporalis sanitatem aegroti confert, si potest, sine alicuius membri abscissione; si autem non potest, abscindit membrum minus necessarium, ut vita totius conservetur: ergo fama fratris peccantis non est minuenda apud Superiorem, quando per privatam correptionem speratur emendatio. 3. Quia immediata denuntiatione, sine secreta monitione saepe movet proximum ad indignationem contra denuntiantem & ad ulteriorem lapsum; iuxta illud Hieron. in verba cit. Matth. Corripendus est seorsim frater, ne si semel pudorem vel verecundiam amisit, permaneat in peccato. Multi enim pro timore infamiae a peccato retrahuntur, qui quando se infamatos vident, irrefrenate peccant.

Dico: Per se loquendo: quia per accidens non est praemittenda secreta correptio denuntiationi in certis casibus. 1. Non est praemittenda, si fundate presumatur non profutura. (Quodlib. 11. a. 13. o.) 2. Si correpturus sit minus idoneus ad corrigendum; & videtur, quod melius fiet per Praelatum, quatenus Praelatus est pius, discretus, spiritualis, non habens rancorem, aut odium adversus subditum, potestque pluribus modis impedire peccatum, licet statim illi fieri delatio (idem dic de aliquo alio viro pio & prudenti). Neque hoc est dicere Ecclesiae; quia non dicitur Praelato ut Judici & superiori, sed ut personae proficiendi ad correctionem & emendationem proximi, & quasi alteri fratri. Neque enim in hoc violatur praecipium Domini de monitione secreta praemittenda denuntiationi; quia, cum sit affirmativum, & in bonum corrigendi, debet observari in quantum circumstantiae locorum, temporum & personarum indicant observandum. Neque conqueri potest corrigendus de sui diffamatione apud Superiorem; levis enim est haec diffamatio, attonis prudentia, probitate, & benevolentia, quae supponitur in Praelato; debetque illum sufferre pro consequenda meliori modo sua salute. Verum (Ibid.) propter conditiones diversas Praelatorum & Subditorum non potest dari in hoc regula generalis; quia aliquando Praelatus est imprudens & iracundus, aut movetur odio in subditum; vel subditus non bene fert verba Praelati. Ideo tenendum est hoc pro regula generali, quod in omnibus istis servanda est charitas, & quod, qui intendit re, quod melius & magis expediens apparet, servans, in quantum potest, bonum proximi, non peccat.

Dico 1. contra 3. Conclus. ex Scriptura 1. Lev. 5. dicitur: Si audierit vocem jurantis, nisi indicaverit, portabit iniquitatem. 2. Cap. 19. Non oderis fratrem in corde tuo, sed publice argue eum. 3. Genes. 37. Joseph accusavit fratres suos apud Patrem crimine pessimo; ubi nulla

fit mentio praemissae admonitionis secretae. 4. Petrus Act. 5. peccatum occultum Ananiae & Saphirae fraudantium de pretio agri, non solum manifestavit, sed morte punivit. 5. Deus interdum publice punit hominem pro peccato, nulla admonitione secreta praecedente. 6. Ipse Christus non legitur secretum admonuisse Judam, antequam eum denuntiaret: ergo. R. ad 1. Sensum esse, quod, si quis audiverit vocem Judicis interrogantis & adjuvantis de veritate, & nolit eam dicere, punietur. Vel, si quis audiverit vocem jurantis, seu juramento aliquod confirmantis, & postea iudice interrogatus de eo, quod vidit, aut audivit, veritatem dicere recusaverit, portabit iniquitatem suam. Ad 2. Sensus est, quod nemo debeat fovere odium in corde contra proximum, sed quod debeat publice, id est aperte, eum arguere & declarare, quod velit ab eo satisfactionem pro injuria. Ad 3. (Hic a. 7. ad 2.) Quamvis fratres, non sequitur, quod non ita sit, non enim omnia scripta sunt. Sed esto non privatim admonuerit secretum fratres, non sequitur, quod non ita sit, non enim omnia scripta sunt. Sed esto non privatim admonuerit, ideo id praetermisit, quia, cum fratres illum odio haberet, & istud peccatum esset publicum & commune apud illos, non erat spes, quod per eas correptionem privatam emendarentur. Ad 4. (Ibid.) Petrus Publicavit peccatum occultum Ananiae & Saphirae tanquam executor Dei, cujus revelatione illud cognovit: Deus autem non tenetur lege ordinis correptionis fraternae, ut jam dicam. Ad 5. (Ibid.) Cum peccata occulta sint Deo nota, & ipse sit Dominus famae nostrae, sicut & vita, non adstringitur praecipio ordinis servandi in correptione fraternae. Et tamen plerumque Deus peccatores quasi secreta monitione arguit per inspirationes, per conscientiae remorsus, exteriorum praedicationem, & aliis modis. Ad 6. Poterat Christus absque secreta monitione indicare peccatum Judae; tunc quia ut Deus non erat subditus ordini correptionis fraternae; tunc quia noverat, Judam non emendandum, sed deteriorem futurum. Neque tamen ejus peccatum aperte publicavit, sed obscure indicavit, ut diximus Dissert. 6. de Eucharist. a. 6. Concl. 2.

Dico 2. Consuetum est in Religionibus, quod in Capitulis aliqui proclamantur de culpis, nulla secreta admonitione praemissa. Item Praelati praecipunt, vel generaliter omnibus, ut in visitationibus, & vel alicui specialiter, ut si quis sit corrigendus, eis dicitur: tenetur autem Religiosi obedire suis Praelatis: ergo. R. ad 1. (Ibid. ad 4.) Quod huiusmodi proclamationes, quae in Capitulis Religiosorum fiunt, sunt de aliquibus levibus, quae famae non derogant. Si tamen essent talia, de quibus frater infamaretur, contra praecipium Dei ageret, qui per hunc modum peccatum fratris publicaret. Ad 2. (Ibid. ad 5.) Praelato non est obediendum contra praecipium divinum, secundum illud Act. 5. Oportet obedire Deo magis, quam hominibus. Et ideo, quando Praelatus praecipit, ut sibi dicatur, quod quis scriberit corrigendum, intelligendum est praecipium, salvo ordine fraternae correptionis, sive praecipium sit generaliter ad omnes, sive ad aliquem specialiter. Sed, si Praelatus expressit praecipit contra hunc ordinem a Domino institutum, & ipse peccatet praecipiens, & ei obediens, quasi contra praecipium Domini agens. Et ideo non esset ei obediendum, quia Praelatus non est Iudex occultorum, sed solus Deus. Unde non habet potestatem praecipendi aliquid super occultis, nisi in quantum per aliqua indicia manifestantur, puta per infamiam, vel per aliquas suspensiones. In quibus casibus potest Praelatus praecipere, sicut Iudex Saeculari, vel Ecclesiasticus potest exigere juramentum de veritate dicenda.

Inst. 1. Fertur statutum esse Societ. Jesu, ut omnes defectus etiam graves deferantur ad Superiorem, non praemissa admonitione secreta: ergo. R. id non militare contra Conclus. quia huius Religionis Socii renuntiant iuri famae suae: cuius sunt domini. Idque licitum est, cum sit ex honesta causa, maxime in ordine ad bonum spirituale. Unde, qui illos denuntiant Superiori, non violant praecipium de ordine correptionis fraternae, quippe quod, hac posita conditione, non obligat. Existimat tamen Sylvius, quod, si moraliter certum sit, aut valde probabile, quod aequè bene, aut melius privata correptione, quam denuntiatione, frater emendabitur, denuntians posset peccare contra charitatem, licet non contra iustitiam. Sicut potest peccare contra charitatem, licet non contra iustitiam; qui publice diffamatum sententia iudicis in uno loco diffamat in alio, quod verisimiliter notitia ejus criminis non esset peritura.

Ceterum dicere, ut quidam dixerunt, quod correptio fra-

fraterna semper melius fiat per Praelatum, quam per socium, videtur erroneum, & injuriosum doctrinae Christi atque aperte contra S. Th. superius citatum. Item dicere, quod nulla communitas possit alio modo bene gubernari, videtur pariter injuriosum Christo, & contra Jus naturale.

Inst. 2. Inquisitores suis edictis praecipunt, ut peccata, quae in eis continentur, statim ipsis denuntientur ante communicationem cum aliquo; consequenter sine admonitione secreta: ergo. R. Perpetrant crimina, in edictis Inquisitorum contenta, esse perditissimos homines; de quibus vix haberi potest spes emendae per privatam correptionem.

§. II. Utrum inductio testium debeat precedere denuntiationem.

Quidam dixerunt, (Ibid. a. 8. ad 1.) quod post privatam correptionem infructuosam, si peccatum fratris non sit ita occultum, quin innotescat aliis, quam corripienti, hi possint induci in testes: sed si sit omnino occultum, non esse ulterius procedendum. Contra quos Dico (Ibid. o. & ad 1.) si post pluries adhibitam infructuosam admonitionem secretam sit spes, quod ulterius procedendo frater emendabitur, debemus ulterius procedere, adhibendo testes, deinde denuntiando Praelato, ut Patri, quantum vis peccatum sit occultum. Si vero non sit spes, quod ulterius procedendo frater emendabitur, non est ultra privatam monitionem procedendum. Prob. 1. pars: (Ibid. in a. s. c.) Quia Christus statuens ordinem correptionis fraternae loquitur de peccato occulto, & soli corripienti noto: ergo. Prob. Ant. Pro 1. gradu statuit, ut frater fratrem solus corripere; atque si peccatum esset alteri notum, non esset, cur prohiberet, ne illi duo primum fraternè corripissent delinquentem. Unde Aug. serm. 16. de verbis Domini. Peccavit in te frater tuus, si tu solus nosti: ergo. 2. Ex charitate tenemur consulere famae, & saluti proximi, magis tamen saluti, quam famae, si utraque haberi non possit. Si ergo inductio testium, aut denuntiatio sit necessaria saluti proximi, negligi debet leve famae detrimentum ex adhibitione testium, aut ex denuntiatione facta Praelato tanquam Patri, ut salus obtineatur: sicut prudens medicus pro conservatione vitae totius abscindit membrum necessarium, ut jam diximus ex Auct. Prob. 2. pars. Correptio fraternae, & totus ejus processus ordinatur ad bonum, & emendationem fratris delinquentis tanquam ad finem; cessante autem fine, cessant media ad illum: ergo, si non sit spes emendationis fratris procedendo ad inductionem testium, & ad denuntiationem, abstinendum est ab illis.

Dico (Ibid. ad 1.) in Conclus. Post admonitionem secretam; pluries iteratam: quia quando spes est proficiendi per correptionem privatam, non oportet procedere ad inductionem testium, sed iterari debet correptio privata. Similiter inductio testium debet non semel tantum, sed pluries fieri, quando ista spes, eam profuturam; nisi ex dilatione inductionis testium, aut denuntiationis, esset periculum, ne delinquentis iterum peccaret. Dixi 2. Deinde denuntiando Praelato ut Patri; quia, si peccatum occultum fratris non sit nisi ipsi noxium, nec tale, quod bonum commune exigat deterri ad iudicium, non licet denuntiare denuntiatione juridica Praelato ut Judici, sed tantum ut Patri; nec potest Praelatus, cui istud peccatum per viam correptionis fraternae innotescit, contra illum fratrem judicialiter procedere, neque excommunicatione publica, aut alia poena diffamante punire: quia & ipsa correptio fraternae, & totus ejus ordo atque processus ad solum bonum, & emendationem fratris ordinantur; processus autem judicialis ad bonum dumtaxat commune, & publicum. Adde, quod frater per suum peccatum occultum non amisit jus ad famam,


neque ejus, aut Reipublicae bonum exigit, ut diffametur: ergo.

Nec obstat, quod id, quod denuntiat in fraternae correptione Praelato, juxta Auctorem hic ad 4. Dicatur ei tanquam Ecclesia, id est, sicut in loco Judicis residentis. Praelatus enim, ut bene observat Serra, residens in loco Judicis, habet rationem Judicis & Patris: Judicis, patet, cum resideat in loco Judicis: Patris autem, colligitur ex Aug. dicente in regula, Praeposito tanquam Patri obediatur: est autem ipsi obediendum, non ut particulari personae, sed ut sedenti in loco superiori, nempe Judicis. Sub utraque ratione est superior, & habet auctoritatem corrigendi, & puniendi, sed diverso modo, ut Iudex respiciendo bonum publicum, ut Pater respiciendo bonum filiorum, & subditorum. Praelato ergo ut Patri subditus delinquentis fraternè est denuntiandus, sic ut Praelatus non possit ipsum excommunicatione publica, aut alii poenis Juris infamantibus plectere, sed coram denuntiatore, & testibus, seu paucis viris gravibus, ipsum corripere, & moderatis poenis privatis, ut flagellatione, jejuniis, & similibus castigare, ipsique prohibere sub poena excommunicationis, ne in tale peccatum relabatur: quod si non obtemperet, erit excommunicatus, atque ita sicut Ethnicus & Publicanus, ut fert sententia Christi, non tamen publice, sed privatim; neque poterit denuntiarum ut talis, quando peccatum manebit occultum.

Dico 1. contra Conclus. Nemo habet jus alterum diffamandi, etsi pro ejus bono spirituali; sicut nemo habet jus surripendi alienum, etsi pro ejus bono spirituali: ergo. R. 1. N. Suppositum Ant. Revelatio enim criminis alterius ex justa causa non est diffamatio formalis. Pro quo vide Dissert. 15. de Justitia a. 2. §. 3. Ad Probat. disparitas est, quod bonum alienum ex natura sua ipsi non nocet; at ejus fama seu crimen occultum in casu ipsi nocet. Adde, quod ista probatio universaliter sumpta non sit vera; si namque dives decubens non vellet ex avaritia emere medicinam communem, sine qua est moriturus, possem illi surripere pecuniam ad comparandam hanc medicinam.

Dico 2. Non videtur, quo fine, & tractu adhibentur testes, qui non sunt criminis conscii: ergo. R. Testes induci ad plura: (Ibid. ad 3. & in 4. d. 19. q. 2. a. ut. q. 2. ad 1. & 3.) Ut si reus dubitet, aut neget, esse peccatum, de quo corripitur, a testibus possit convinci. 2. Ut si factum neget, testes eum observent, & postea convincant, si relabatur. Neque ideo dicendi sunt exploratores vitae alienae; is enim non dicitur explorator vitae alterius, prohihibetur Prov. 14. qui, cum ejus peccati sit jam conscius, observat eum, ut emendetur. 3. Ut cum faciendum erit denuntiatio apud Praelatum, denuntians possit probare se servasse ordinem correptionis fraternae. 4. Tandem ut testes simul cum corripiente hortentur efficacius fratrem ad emendationem.

Ex dictis huc usque colliges, ordinem correptionis fraternae esse non solum Juris divini positivi, sed etiam naturalis: quia lex naturalis dicitur, ut subveniamus proximo in necessitate, sicut vellemus nobis subveniri, id est, modo suaviori, & cum minori detrimento: sic autem fit secundum ordinem correptionis fraternae. 1. Corripitur frater privatim, & amice, non semel, sed pluries, quando ista spes est hac via proficiendi: si ista correptio nihil prosit, adhibentur unus, vel duo qui processu possunt, non obesse: si nec sic habetur emendatio, quid restat, nisi ut dicatur Ecclesiae, id est, Praelato ut Patri, qui non judicialiter, sed paternè corripit delinquentem, & poenis moderatis coarctat. Reducitur autem hoc praecipium ad praecipium de honoratione Parentum, ut dictum est supra de Eleemosyna.



DISSERTATIO III.

DE VITIIS CHARITATI OPPOSITIS.

Div. Thom. a Quaes. 34. ad 43.

Vitia Charitati opposita sunt, juxta Auctorem quaestionibus cit. odium Dei & proximi, quod opponitur ipsi dilectioni. Acedia, quae opponitur gaudio de bono divino. Invidia, quae opponitur gaudio de bono proximi. Discordia, quae opponitur effectui charitatis, qui est pax. Contentio, Theol. Billuarr. Secunda secundae.

quae opponitur paci quantum ad locutionem. Schisma, bellum, rixa, & seditio, quae opponuntur paci quantum ad opus; & Scandalum, quod opponitur charitati quantum ad beneficentiam. De his omnibus plus, aut minus, secundum majorem, vel minorem materiae necessitatem, dicemus in hac Diss.